

P V I S



1 6 0 3

LXXV.

N V P T I I S

REVERENDI ET DO-
CTISSIMI VIRI D. AVGV-
STINI REINHARTI, ECCLE-
SIAE IESV CHRISTI IN DVRSTENREVT,
oppido palatinatus superioris, ministri
dignissimi,

C V M

LECTISS. VIRGINE MARIA,
REVERENDI ET CLARISS. VIRI D. N.
M. Nicolai Kindij, Ecclesiae Christi, quae Servestæ ad Bartholem.
colligitur, pastoris vigilantiss. & Professoris S. S. Theologiae
catechetici, piæ memoriae F,

Carmina cum solenni votorum appreciatione
nuncupata Anno cl^o Is XCVIII. die 28 Augusti, qui fuit
dies Augustini.

AB AMICIS.



SERVESTÆ


Imprimebat Iohannes Schlier Anno 1598.

74

22

88





Epithalamia in nuptias D.

Augustini Reinhardi.



*Alitur & fallit Mystis qui dorogat au-
dax*

*Connubium prater fasq; decusq; Papa.
Est quia conjugium res casta, sacerrimus ordo,
Omnibus, hunc sanxit, qui regit astra, Deus.
Ne se contemnent, qui dogmata Mystica tractant
Spurco Romulus Presul at ne refert.
Dic mihi sed Papa, qui commaculare probabis,
Sanctos, quod sanctus sanxit in orbe Pater?
Sancta decent sanctos; cur sanctos ergo ministros
Sancta vetas sancti jura subiere thori?
Primus hic est ordo, prisca hunc coluere parentes,
Quiq; sacerdotis munia obiit Adam.
Henochus, Noe, cum Thariadeq; Isaacus
Fœdera servârunt, ô Hymenæe, tua.
Cœtera quis nescit? lecti qui sacra litabant
Legerunt sociam pars sibi quisq; suam.
Quintadas Christus vultu conviva sereno,
Miraclo primo condecoravit item.*

A 2

Non

Non igitur cælo, stygiis diduxit ab undis,
Qui clero thalami vincla sacrata negat.
Te iuvat Augusti mage iussa verenda Tonantis,
Augustine, patrum gesta q̄, dia sequi
Optas dum vita sociam tibi jungier aptam,
Participemq̄, boni, participemq̄, mali.
Va soli, cui non consors solatia prestat
Auxilio, precibus, consilioq̄, bonis.
Experti loquimur, vitæ discrimina passi,
Et varios casus, exuliumq̄, grave.
Quod superest: tædis sit præstò conditor orbis
Qui facit ex undis dulcia vina potens.
Hic tibi sincero combinet amore **MARIAM**.
Sic animus gemini corporis unus erit.
Ut sua Thariada sibi Sara placebat, Et illa
Thariaden Dominum rite vocabat amans:
Sic Augustine tuam semper complectere costam:
Tuq̄, Augustinum casta Maria tuum.
Ut strictim dicam: sic præstò præside Christo
Alma salus vestro, paxq̄, fidesq̄, thoro.

ἐὐφραίνεις ἐργῶ

M. Cun. Reinhardus.

Aliud.

ALIVD.

Pse Deus postquam terram, mare, sidera fecit,
Quæq; dolus, tellus, quæ mare, & Orcus habet:
Sancivit casti socialia vincula lecti
Adamo socio federe junxit Evam.

Castus ut ipse DEVS, sic vitam degere castam
Vult homines, mandans sint duo ut una caro,
Nec casu fiunt connubia; Rector Olympi
Vxorum jungit pectore amore viris:
Quos vult, quosq; suo statuit sapiente statuto,
Hos sociat sancto federe coniugij.

Nam certâ quoq; disponit, qui cuncta creavit,
Mensurâ, numeris, pondere, cuncta DEVS.

Expertus loquor. Et dictum res comprobât ipsa:
Sponsorum ad sponsas flectere corda DEV M.

Non minus hoc quoq; es expertus, doctissime sponse,
Cum peteres patriam victus amore meam,

Dotibus egregijs præstantes mille puellas
Cætus habet, quem tu dogmata sacra doces,

Equibus una, esset quæ præstantissima, tecum
Posset legitimi jura subire toris;

At te nulla domi potuit retinere; videtur
Sola tibi thalamo MARIA digna tuo.

Illa tuos flexit sensus, animumq; labantem
Impulit; hinc cæcum pectore vulnus alis:

Multa huius virtus animo, pietasq; recurvat,
Et latet hæc inter vota precesq; tuas;

Illa nec optatam membris dat flamma quietem,
Serveſtam occultus te trahit huius amor,

Quod te non raperet ventus; non fulminis atris
Ignes, non diræ grandinis ira gravis;

Non tonitru aut frigus, non Zythi prona Cupido.
Tantæ causa viæ sola MARIA fuit,

Quam tibi consortem thalami de millibus unam
Delegit summi provida cura Patris.
Non experta illud minùs es, lectissima sponsa;
Sponsarum ad sponfos flectere corda D E V M
Te non indignos, qui forma & origine clari,
Nongentos juvenes patria terra fovet,
Quos ætas, pietas, virtus, doctrina, pudorq;
Commendat, viduos non numerabo viros;
Horum uni posses sociali federe jungi,
Cumq; illo placido subdere colla iugo.
Tu tamen hos omnes es dedignata maritos:
REINHARDVM cunctis antetulisse placeat.
Ille animum flexit, REINHARDI solius igni
Torqueris; soli huic debita jura dabis,
Quem vitæ secium de multis millibus unum
IEHOVÆ legit dextra benigna tibi.
Hunc verum auctorem thalami cognoscite vestri,
O sponsi, vero pectore amate D E V M,
Seu vos aspiciat læto fors candida vultu,
Seu tristes sævo fulminet ore minas.
Nam toto sese metuentes pectore, nullo
Summus rerum opifex tempore deseruit.
Ille adsit vobis in cunctis Numine læcro,
Avertat stigij noxia tela lupi.
Ille tori vobis det gaudia mille feracis,
In vestra infundat corda pudicitiam.
Namq; viro hoc toto non est felicior orbe,
Femina non est hac ulla beata magis,
Quàm si casta duos mens vinclo copulet una,
Nec castum maculet feda libido torum.
Magnas ex parvis faciens concordia rebus
Ambiat hunc thalamum, jurgia finetq; procul.
Et cœlum & terram concordia continet omnem,
Si vinculum hoc tollas, machina tota perit;

Inter



Inter participes thalami quid dulce jugalis,
Esse vel acceptum, quidve suave potest.
Si non constanti felix concordia vinclo
Vinciat amborum pectora casta suos.
Vivite concordēs, & casti vivite, sponse
Coniuge digne tua, sponsaq; digna viro.
Vbere reddat ager fruges cum fenore, gratis
Horrea distendat messis opima bonis.
Fecundos oneret vindemia lata racemos,
Impleat & vini copia magna cados.
Æmula sed certet fecundis vitibus uxor,
Ornent ut vestram pignora cara domum.
AVGVSTINE, animo florens & viribus aptis,
Triseclis superes secula longa senis.
MARIA pignoribus florens vivas tot lanos,
Annos quot cornix garrula vivit avis.
Quæ bona sola patris cum donet dextra benigni,
O Sponsi, toto corde timete Deum.
Conjugium reddit felix Deus ipse piorum.
Et semper justis æquior esse solet.

David Haustedius Servestianus Anhaltinus,
verbi Dei minister in Steckbey &
Kermen.

A L I V D.

Vlt Deus ut certo nostrum genus ordine
crescat,
Et si deest sub certa lege jugalis amor,
Rem gratam facit Deo, qui fœdus inire,
Quod Deus instituit, connubiale parat,
Prosequor ergo tuum gratanti carmine ceptum,
Quod sociam casto jungis amore tibi:

Qua

Quæ tam præclaris est nata parentibus, ut si
Nobilitet virtus, nobilis illa foret.
Nam pater huius erat, qui Kindij nomen habebat,
Vir præstans meritis, Et pietate gravis.
Qui sincera docens divini oracula verbi,
Servestacatum pavit in urbe sacrum.
Interpresq; pia doctrinæ ad pulpita ludi,
Aures detinuit culta juventa tuas.
Hæc etiam sancto gaudet pietatis honore,
Namq; Deum tota mente, fideq; colit.
Ac vera præbet probitatis maxima signa,
Et multis morum est accumulata bonis.
Qualis gemma micat, fuluum quæ dividit aurum,
Quam legit è viridi decolor Indus aqua:
Sic ipsi micat oris honos, sic lumina flagent,
Ex quibus in Sponsum spicula misit Amor.
Sed cum nil habeam, quod vestris laudibus addam,
Quàm quæ sunt semper maxima dona, preces:
Oro ut concordem vobis Deus afflet amorem,
Qui constans mortis duret ad usq; diem,
Atq; Sibyllinæ concedat secula vatis,
Et det fecundi pignora multa tori.

Isaac Gregorius Servestanus.

F I N I S.

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





LXXV.
N V P T I I S
ERENDI ET DO.
IMI VIRID. AVGV.
REINHARTI, ECCLE.
SV CHRISTI IN DVRSTENREVT,
do palatinatus superioris, ministri
dignissimi,

C V M
I S S. VIRGINE MARIA,
N DI ET CLARISS. VIRI DN.
indij, Ecclesie Christi, quæ Servestæ ad Bartholem.
pastoris vigilantiss. & Professoris S. S. Theologiae
catechetici, piæ memoriæ F,

a cum solenni votorum appreciatione
ta Anno cl^o l^o XCVIII. die 28 Augusti, qui fuit
dies Augustini.
AB AMICIS.



SERVESTÆ
mebat Iohannes Schlier Anno 1598.

74

52.

88

